



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 473. Quid juris in pignore habeat creditor, & quæ vi illius competant & remedia persequendi illud.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

toris hoc pactum constitutum; secus, si emptor conveniret, ut post tempus aliquod venditor rem emptam reciperet, non deductis fructibus perceptis, quod dicit esse usuram palliatam; cum ea non esset venditio, sed oppignoratio.

Quaest. 473. Quid juris in pignore habeat creditor, & quae vi illius competant ei remedia persequendi illud?

Resp. Habet jus in re, scilicet in pignore, ut habet communis. Vi cuius juris tamen rem oppignoratam, dum eam non possidet, invito debitorum propria autoritate occupare non potest. Lauterb. in ff. de pignor. §. 63. Arg. l. 13. ff. quod metus caus. sed competunt ei remedia alia possessoria, puta, interdictum Salvianum, sic dictum ab auctore suo Salvio Juliano; & interdictum: *ne vis fiat ei*: de quibus alibi. Item remedia petitoria, puta, actio hypothecaria, quae interdum etiam dicitur pignoraticia, vel etiam vindicatio. Et est actio realis, utpote orta ex jure in re, competens creditori ad pignus vindicandum adversus quemcunque possessorem. l. 16. §. 3. & l. 17. ff. de pignor. l. 18. C. eod. Dividitur autem haec actio hypothecaria in Servianam, sic dictam ab auctore suo Praetore Servio, quae competit locatori praedii rustici adversus quemcunque possessorem ad vindicandas res coloni jure pignoris pro securitate mercedis eidem obligatas, tam tacite, quales sunt res in illud illatae, quin & fructus, quam res alias, si quae sint expressae eidem obligatae. Et quasi Servianam (quae quandoque etiam in jure dicitur Serviana simpliciter, seu sine addito *quasi t.* 3. 7. 10. ff. de pignor. quandoque etiam Serviana utilis. l. 4. C. de precario. vel etiam hypotheca in specie. Lauterb. loc. cit. §. 67. ad exemplum Servianae Jurisconsultorum interpretatione composita, competens aliis creditoribus hypothecariis ad sua pignora vindicanda. §. 7. *Inst. de act.* causam sui efficientem remotam habens Praetorem, qui primus hanc induxit; proximam jus in re quod dicitur hypotheca quocunque modo constitutum. cit. l. 9. Lauterb. §. 68. Dicitur etiam ab aliquibus specialiter actio hypothecaria praetoria, qua quis pignus praetorium a Praetore nimirum constitutum persequitur. Competit haec actio, quam primum pignus est pure constitutum & acquiritum, & sic posita causa, ex qua illa sequitur tanquam effectus. Si vero conditio vel principali debito, vel constitutioni pignoris est addita, ante impletionem conditionis sicut nec pignus, ita nec actio competit hypothecaria juxta. l. 5. in fin. & l. 13. §. penult. ff. de pignor. Lauterb. §. 81. cum Bachov. de pignor. l. 3. c. 13. num. 6. & aliis. Et si dies principali debito vel hypothecae sit additus ante illum hac actione regulariter non agitur. l. 5. §. 1. ff. quib. mod. pign. solvat. Lauterb. Bachov. LL. cit. nisi ob justam causam creditoris interfit. l. 14. ff. de pignor. iidem. Qualiter vero intentata hac actione, procedere debeat Judex, vide apud Lauterb. loc. cit. §. 80. Ut autem actor uti possit actione hypothecaria, probare tenetur dictum jus in re tanquam fundamentum suae intentionis. l. 23. ff. de prob. & quidem, dum agitur contra ipsum oppignorantem, sufficit creditorem probare oppignorantem, & rem in suis bonis fuisse; cum reus rem specialiter alteri a se obligatam in bonis suis fuisse negans, utpote allegans propriam turpitudinem, non sit audiendus. l. 4. ff. de pignor. Mudæ. tr. de pignor. tit. quid in hypoth. proband. num. 7. & 8. Merlin. tr. eod. l. 5. quaest.

68. num. 4. (ubi etiam is num. 7. & 8. An idem dicendum, dum agitur contra haeredes oppignorantis) Bachov. tr. eod. l. 5. c. 11. num. 2. quos citat & sequitur Lauterb. §. 69. quamvis, ut idem cum Bachov. constituens hypothecam generalem non prohibeatur excipere, hanc vel illam rem fuisse in bonis suis. Dum agitur contra tertium possessorem, probare insuper oportet, creditorem oppignorantem habuisse jus oppignorandi rem, quae petitur. Lauterb. §. 70. Arg. l. fin. C. si res alien.

Quaest. 474. Quibus & contra quos competat haec actio hypothecaria, & quae ei obstant exceptiones?

1. Resp. ad primum: competit ea etiam creditorum hypothecariorum haeredibus; & quidem, si plures sint, singulis eorum in solidum. l. 1. C. si unus ex plur. haered. & pro quacunque debiti parte in solidum. l. 19. ff. de pignor. cum causa pignoris sit individua. Lauterb. §. 71.

Resp. ad secundum: competit ea contra quemcunque rei oppignoratae possessorem quae talem, & non quae debitorem. l. 16. §. 3. ff. de pignor. sive is sit haeres creditoris, sive ab illo aut quocunque alio causam possidendi habeat (modo non habeat, qui cum inventario, haereditatem adiit, ut Lauterb. §. 72. citans l. fin. §. 5. & 8. C. de jur. deliber.) sive reus seu contra quem agitur, vere sive fictè possideat, & pro possessore habeatur. l. 16. §. 3. l. 27. §. 3. de R. V. tenetur tamen illam possessionem actor probare, dum reus eam negat. Lauterb. §. 73. ubi etiam, qualiter procedendum, si reus contestata jam lite possidere desierit. Verum contra tertium, penes quem existit pignus, hac actione agere nequit, antequam excusserit debitorem principalem ejusque haeredes vel etiam fidejussores si sint, iique non sint amplius solvendo. Competit enim tertio illi possessori, qui haeres non est, hoc beneficium excussionis, & is se dilatoria excussionis exceptione defendere potest vi juris Novellarum, dum alias jure ff. & Codicis in arbitrio est creditorum (fisco excepto) an debitorem personali, aut alium possessorem convenire velint dictam hypothecariam, ut Lauterb. §. 74. ex ea aequissima ratione, ut nimirum ii potius & prius condemnentur ad solutionem, qui se obligarunt, quam tertius, qui nihil promisit, possessione privetur *Novell. 4. c. 1. & 2. Auth. hoc si debitor. C. de pign. Auth. sed hodie. C. de O & A.* Lauterb. §. 76. citatis Franzk. l. 1. resol. 12. a. num. 1. Carpz. p. 2. c. 18. def. 17. Gail. l. 2. obs. 27. num. 1. ita in praxi servari testante. Idque, sive res expressae, sive tacite; sive in specie, sive in genere sit obligata, ut, Lauterb. loc. cit. cum Franzk. loc. cit. & Richt. vol. 2. conf. 153. num. 19. contra Berlich. Carpz. Brunem. Arg. *Novell. 12. c. 1.* distinguentes inter hypothecam generalem & specialem. Item, sive hypothecae sit additum pactum exclusivum, sive non. Lauterb. loc. cit. cum Franzk. loc. cit. num. 44. Hoc tamen beneficio cessante, seu non competente tertio possessori in variis casibus; ut si debitor & fidejussor ipso jure non possunt conveniri. Si debitores notorie non sint solvendo; cum excussio non sit ad alium finem, quam ut constet, num debitor sit solvendo, notoreitate vel ex hoc ipso constante, quod debitor praestet juramentum paupertatis, vel ostiatim vadat, vel etiam per famam vicinorum. Item si debitores sint difficilis conventionis propter absentiam aliamve